Quaestio Medica,

Cardinalit. exagitanda disputatoribus in Scholis Medicorum die Jovis 15° Septembr. ornatiss. viro D. Antonio Prunier D. Medico moderatore sapientissimo.

An Leienteriae et Diabetae eadem Curatio?

Leienteria (quam praecedit Coeliaca, et vomitum nausea) velox exitus eorum quae comeduntur, quae quidem nulla alteratione facta talia deijciuntur, qualia devorata fuere, Ventriculi et Intestinorum est affectus proprius. Cuius causa est imbecillitas eorundem retentricis ob intemperiem frigidam: vel irritatio expultricis. Quam unam exterentem habent intestina, et sicuti villos transversos tantum, aliter carnosa ittento: unde irritatur expultrix: quomodo in vesica stranguria et in ano tenesmus excitatur. Oritur etiam Leienteria ab humorum mordacitate in superficie ventriculi, et intestinorum, veluti ulcere. Oritur denique a pituita salsa frigidissima copia: diarrhoeam interdum sequitur atque dysenteriam.

Haec tamen intestinorum levitas, vel Coeliaca a Diarrhoea distincta, longiori si tempore perseveret, in Dysenteriam commutatur, ac autumno frequentius, quam aliis anni temporibus homines, et hos senes, quam juvenes prehendit. Quibus si ab exulceratione oritur, dejectiones superveniunt non absque ventris doloribus, qui cum profundis, sublimioribus functiones deiiciunt. A quacunque autem causa orta sit Leienteria, aegri cibum non sentiunt: unde eorum corpus attenuatur, et in cachexiam, cui succedit atrophia, incidunt. Quod utrumque malum corrigi non potest. His item adest spirandi difficultas, et lateris punctura, tantaque cruditas, ut alimenti assumpti genus apposite dignoscatur.

Renes quorum vi urina a sanguine segregatur, atque illinc per ureteres ad vesicam percolatur, indeque excernitur, cum ratio ipsa suffecerit varios sustinent affectus, ex quorum numero est Diabetes, quo subitus fit totius potionis cum urina prolapsus. Hic a Leienteria differt quod (non quemadmodum Epilepsia et apoplexia) sedibus secludantur diversis. Ille enim renum, non autem vesicae, proprius est affectus: qui ob varia ipsorum vitia oritur, nimirum ob retentricis eorundem summam imbecillitatem, et propter attractricis robur: quarum functionum noxam excitat calida illorum intemperies: vel humor biliosus, acer, salsus ipsi renum substantiae impactus: vel denique venenum quoddam deleterium.

Quae omnia sitim ingentem movent, ob quam aegri assidue bibunt, nec potu sedatur. Nec vero id solum quod bibitur protinus crudum mittitur (ut cibus a Leienterico deiectus) sed humor etiam copiosus, a renibus colliquato corpore attractus: in eoque Diabetes proprie consistit. Ob quem summa totius corporis macies, et copiosior multo, quam sit potus, urina redditur. Quae naturali modo se habens, quantitate potui respondere debet, et tempore convenienti reddi, sicut alia excrementa, quae non omnia a natura alterationem suscipiunt, siquidem nec omnis cibus in cuiusvis animalis ventre concoquitur. Vigiliae denique Diabete laborantibus urgere videntur: anxii sunt, et animo dubii: igne amplius ardere se putant, et paulo post moriuntur. Et cum parumper urinam retinent, intumescunt lumbi, testes, et coxae.

Curatio (quae non tantum naturae, sed artis etiam est opus) quoniam morbis debetur, a quibus indicatur: et quot morborum differentias in ἰδιοσυγκρασίᾳ videlicet, velut impressas prope innumeras, tot sunt medendi differentias indicare: Leienteria igitur et Diabetes causa, loco, et symptomatis dictis quia plurimum differunt, aliam atque aliam curationem recipiunt. Nam in Leienteria purgatione ex hiera simplici vel Rhabarbaro tendendum erit. A purgatione (neque prius) aegris conveniunt astringentia admota et assumpta etiam frigidae qualitatis, ventrisque dejectione nata. Nec nimis cocta quae urinam cient, apium, anisum, foeniculum. Neque contemnendi etiam vomitus (qui vino nigro et austero etiam excitari possunt) tum a coena, tum ventre jejuno. In Diabete contra aegri ab omnibus diureticis abstinere debent. Quibus maxime utilis sanguinariae succus, et radicis symphyti cuiusvis decoctum. Item trochisci per os sumendi, qui ex spodio, balaustio, terra sigillata, terra in aqua absinthii dissolvantur. Principio denique Diabetis venae sectio prodest, quae in Leienteria non ita est salutaris.

Ergo Leienteriae, et Diabetae non eadem curatio.

Afferebat Guillelmus Fagotin Calvimontanus. 1569.